& reſiſtentia progredientis ipſo motus initio æquantur, adeoq; & ipſis proportionales $\frac{hf}{fg}$ & $\frac{HF}{FG}$ æquantur; & propterea ob æquales fg & FG, æquantur etiam hf & HF, ſuntq; adeo CF, CH (vel Ch) & Cf in progreſſione Arithmetica, & inde HF ſemidifferentia eſt ipſarum Cf & CF; & reſiſtentia quæ ſupra fuit ut $\frac{HF}{FG}$, eſt ut $\frac{Cf-CF}{FG}$.

Eſt autem reſiſtentia ut Medii denſitas & quadratum velocitatis. Velocitas autem ut deſcripta longitudo CF directe & tempus $\surd FG$ inverſe, hoc eſt ut $\frac{CF}{\surd FG}$, adeoq; quadratum velocitatis ut $\frac{CFq.}{FG}$. Quare reſiſtentia, ipſiq; proportionalis $\frac{Cf-CF}{FG}$ eſt ut Medii denſitas & $\frac{CFq.}{FG}$ conjunctim; & inde Medii denſitas ut $\frac{Cf-CF}{FG}$ directe & $\frac{CFq.}{FG}$ inverſe, id eſt ut $\frac{Cf-CF}{CFq.}$. Q. E. D.

Corol. 1. Et hinc colligitur, quod ſi in Cf capiatur Ck æqualis CF, & ad planum horizontale AK demittatur perpendiculum ki, ſecans curvam ACK in l; fiet Medii denſitas ut $\frac{FG-kl}{CF \times \overline{FG+kl}}$. Erit enim fC ad kC ut $\surd fg$ ſeu $\surd FG$ ad $\surd kl$, & diviſim fk ad kC, id eſt $Cf-CF$ ad CF ut $\surd FG - \surd kl$ ad $\surd kl$; hoc eſt (ſi ducatur terminus uterq; in $\surd FG + \surd kl$) ut $FG-kl$ ad $kl + \surd FG \times kl$, ſive ad $FG+kl$. Nam ratio prima naſcentium $kl + \surd FG \times kl$ & $FG+kl$ eſt æqualitatis. Scribatur itaq; $\frac{FG-kl}{FG+kl}$ pro $\frac{Cf-CF}{CF}$; & Medii denſitas, quæ fuit ut $\frac{Cf-CF}{CF\,quad.}$ evadet ut $\frac{FG-kl}{CF \times \overline{FG+kl}}$.

Corol.